Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8249
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

diebus. et similiter fecerunt de aaron et ma
ria. Sed nota quod mortuo iosue. qui eos in
troduxerat in terram repromissionis. non legitur
populus fleuisse. credendum tamen fleuisse. Ideo
de iosue tacuit hystoria. quia prefigurauit
christum. et mors eius mortem christi. Mors enim eius
a morte nos redimens. ad uitam patri
am nos reduxit. ubi neque luctus neque do
lor est. Ergo propter figuram. De fletu mor
tis illius hystoria tacet. Sicut alibi de
patre melchisedech qui christum figurauit.
quia non legitur habuisse patrem. sicut nec
christus hominem habuit. nec melchise
dech legitur habuisse. et si tamen habuit.
De moyse autem licet melius credatur quam
iosue. et de aliis qui mortui sunt in deserto
populus fleuisse legitur. quoniam desertum quando
alienationem a deo significat. Pro illis ergo
flendum est. qui propter peccata sua a deo alienan
tur. Item dicit salemon. Luctus filii tui mor
tui .vii. diebus. Luctus filii tui stulti est
uniuersis. quem in eternum punietur. Item filius sapiens
letificat patrem. stultus uero contristat matrem.

Septenarius ergo mortuorum et tricennarius
a ueteri testamento sumpsit exordium. Sicut enim ia
cob fleuerunt filii eius per .vii. dies. et moy
sen per .xxx. ita ecclesia per .vii. dies quandoque
per .xxx. suorum celebrat officium mor
tuorum. Et nota quod .iiii. modis subue
niuntur mortuis. oratione carorum. elemosi
na. ieiunio. missarum celebratione.

per .vii. ergo dies mortuis nostris officia
facimus ut ad sabbatum animarum citius ua
leant peruenire. Vel propter septenarium
anime et corporis. Anima enim tres habet uires.
rationabilitatem. concupiscibilitatem.
irascibilitatem. Corpus uero ex .iiii. con
stat elementis. Ut ergo peccata que homo per hec
.vii. commisit deleantur. septenarium
mortuis celebramus. Ter decem .xxx.
faciunt per trinitatem. per dena deca
logum intelligimus. Tricenarium ideo
facimus mortuis. ut quod in obseruati
one .x. preceptorum contra trinitatem deliquerunt
dominus misericordia eis condonet. Quidam tamen per tres
dies hoc faciunt ut in hoc triduana
christi sepultura representetur. et quod uiuens
peccauit cogitatione. uerbo. opere. mor
tuo remittatur. Nouendial uero .i. offi
cium .ix. dierum quod quidam faciunt. licet .viii.
hac consideratione hoc faciunt ut per
officium eorum mortui liberentur. et nouem
ordinibus angelorum associentur. non tamen ap
probatur. sed interdicitur. quoniam a gentilibus
sumptum esse uidetur. qui nono die cineres
suorum in bustis recedebant. Ideo ergo nouen
dial prohibetur. ne in hoc gentiles imi
temur. sicut nec imitamur iudeos in cele
brando pascha. Similiter sunt quidam qui quin
quagenarium faciunt. Alii per quadrage
narium. et utrumque satis rationabiliter facere
uidentur. Qui quinquagenarium faciunt.